



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. LXXXI. An voluntas Dei sit propinquior causa rerum, quam
intellectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, voluntatem Dei esse causam rerum, & Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ, ut quidam existimauerunt. Quod quidem apparere potest tripliciter. Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim

2. Phys. tex.
49. tom. 2.

propter finem agat intellectus & natura, ut probatur in 2. Physicor. necesse est, ut agenti per naturam prædeterminetur finis, & media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu. Sicut sagittæ prædeterminatur finis, & certus motus a sagittante. Vnde necesse est, quod agens per intellectum, & voluntatem sit prius agente per naturam. Vnde cum primum in ordine agentium sit Deus: necesse est quod per intellectum, & voluntatem agat. Secundo, ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet ut vnum effectum producat: quia natura vno, & eodem modo operatur, nisi impediatur. Et hoc ideo, quia secundum quod est tale, agit. Vnde quandiu est tale, non facit nisi tale. Omne enim agens per naturam habet esse determinatum. Cum igitur esse diuinum non sit determinatum, sed contineat in se rotam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ nisi forte causaret aliquid indeterminatum, & infinitum in essendo: quod est impossibile, ut ex superioribus patet. Non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis, & intellectus ipsius. Tertio ex habitudine effectuum ad causam. Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente secundum quod præexistunt in ea: quia omne agens agit sibi simile. Præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Vnde cum esse diuinum sit ipsum eius intelligere: præexistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, & sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio eius ad agendum quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum.

2. 7. art. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius per verba illa non intendit excludere electionem a Deo simpliciter, sed secundum quid: in quantum scilicet non quibusdam solum bonitatem suam communicat, sed omnibus prout scilicet electionis discretionem quandam importat.

Ad secundum dicendum, quod quia essentia Dei est eius intelligere & velle, ex

hoc ipso quod per essentiam suam agit, sequitur quod agat per modum intellectus & voluntatis.

Ad tertium dicendum, quod bonum est obiectum voluntatis. Pro tanto ergo dicitur, quia Deus bonus est sumus, in quantum sua bonitas est ei ratio volendi omnia alia, ut supra dictum est.

Ad quartum dicendum, quod vnius & eiusdem effectus etiam in nobis est causa scientia ut dirigens, qua concipitur forma operis, & voluntas ut imperans: quia forma ut est in intellectu tantum non determinatur ad hoc quod sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem. Vnde intellectus speculatiuus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exequens, quia nominat immediatum principium operationis. Sed hæc omnia in Deo vnum sunt.

Conclusio articuli est, Cum Deus agat per voluntatem, non autem necessitate naturæ, voluntas Dei est causa rerum. Quædam leuioris momenti quæ ad explicationem articuli notatione dignæ erant, sequi disp. vnâ cum doctrina ipsius examinabimus.

DISPUTATIO LXXXI.

An voluntas Dei sit propinquior causa rerum, quam intellectus.

Deum extra operari per voluntatem, non per naturam fide Catholica certum est. cap. 1.

Voluntatem Dei esse propinquiorem causam rerum, quam intellectum. c. 2.

CAPVT I.

Deum extra operari per voluntatem, non per naturam, fide Catholica certum est.

Supponimus initio huius quæst. id quod inter Catholicos indubitatum est, nempe, Deum extra se operari non per naturam, sed per voluntatem, hoc est, principium productionis extrinsecæ non esse ipsam naturam deitatis, quatenus est, sed quatenus vult. Cum enim ipsa a nobis dupliciter consideretur, primum quatenus dat esse Dei, quod est ipsi omnino naturale, & necessarium: deinde, quatenus ad res externas refertur per modum libertatis voluntatis, dicimus, non esse principium operationis, quatenus est forma dans esse Dei, sicut formæ agentium naturalium, sed quatenus vult, sicut homo, & creatura rationalis operatur. Atque hoc voluisse S. Thom. in hoc acriter dixit, Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ, affirmant Caiet. hic & Ferrar. 2. contra gent. c. 23. Ferrar.

Ex quo sequitur alter sensus, quem prædicta verba reddere possent, nempe, Deum agere libere, non necessario: sed prior est quem Doctor S. voluit exprimere, fuit autem sententia Iuliani Martini lib. 4. Christianis a gentilibus propositarum explicatione 3. Christianis enim interrogantibus verum Deum essentia sua operaretur quatenus est, an quatenus vult: respondebant gentiles, Deum operari sua essentia in quantum est, id quod Iulianus late

late reprehendit, & redarguit ex illo Plal. 113. *Deus autem noster in celo omnia, quaecumque voluit, fecit.* & ad Ephel. 1. *Qui operatur secundum consilium voluntatis suae.* Existimat igitur Iustinus, Catholicam esse doctrinam expressam in Scriptura Deum voluntate operari.

Contrarium errorem tribuit Ferrar. Auerro 8. physic. à commento 6. vsque ad 10. sed in lib. cui titulus est distinctio distinctionum disp. 3. dub. 1. & 2. docere videtur Deum agere per intellectum & voluntatem. De Arist. etiam certum non est, an in eo fuerit errore: vehementer tamen in illum inclinat, nam quamvis in lib. de mundo ad Alex. circa finem, Deum appelleret auctorem salutis, & libertatis, ibi tamen solum concedit, Deum esse causam remotam rerum omnium, quatenus omnia gubernat, & conseruat motu primi mobilis, cuius solum proxime ipsum curam habere putat. Præterea cum 1. de celo, & 8. physic. censet, mundum fuisse æternum, nec potuisse in tempore incipere, videtur abstrulisse de medio actionem primæ causæ omnino, aut actionem per intellectum, & voluntatem, ita, vt vel totum vniuersum quoad partes perpetuas à seipso fuerit, vel si à Deo, non voluntate, sed necessitate naturæ processerit, nam si per voluntatem Dei esse putaret Arist. facile videret potuisse incipere in tempore, & non fuisse necessario ab æterno.

Mihi autem admodum probabile sit cum Greg. Arimi. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. Aristotelem plane sensisse, cæli intelligentiæ, & elementa, & quæcumque ab æterno esse dixit, non esse à Deo facta, putauit enim Arist. ex nihilo nihil fieri. *Physic. text. 33.* quare text. 62. inde probat, necessarium esse subiectum, ex quo aliquid fiat, & ideo materiam esse ingentiam, lege Greg. Ariminen.

Catholicam vero doctrinam tribus rationibus probat S. Thom. ex quibus, prima prætermissa, secunda est, quia si Deus ageret, extra se quatenus est, produceret alium Deum, id autem est impossibile, ergo ipsum agere necessitate naturæ impossibile est. Sed contra illam obijcit Caiet. illud absurdum non recte inferri, quia posset effectus Dei limitari per secundas causas, quas sibi adiutrices haberet, & ita non necesse esset produci alium Deum: recte tamen respondet idem Caiet. illud absurdum sequi, quia non omnia produceret deus per causas secundas, sed multa per se ipsum, qualia sunt spiritalia, & corruptibilia, & quia qualibet res secundum suum totum esse est proprius effectus solius Dei, in quo à Deo non per secundas causas proxime conseruatur creatione quadam totius continuata.

Verum posset quis deinde obijcere, sicut Sol tenditur, agit necessitate naturæ, & non producit alium solem, sed res multo inferiores, ita Deus non produceret alium Deum. Respondeo nihilominus non esse æquam rationem, nam Solis efficacia limitatur per materiam, in quam agit & qua indiget ad operandum, in eam autem inducere non potest suam formam, aut sibi æqualem, ac deus ex nullo capite limitaretur, quare cum ageret, quatenus est, ageret secundum totam virtutem, & alium Deum produceret, sicut intra se æqualem filium generat, quia necessitate naturæ eum producit, non habet, & Spiritum sanctum similiter, nam quamvis principium Spiritus sancti sit voluntas, non tamen est principium quatenus vult eo quod non ideo

Valquez in 1. part. Tomus I.

Pater spirat quia vult spirare, vt late ostendimus infra disp. 160. cap. 3.

Tertia ratio S. Thomæ est huiusmodi effectus procedunt à causa secundum quod sunt in causa, sed omnis creatura est in deo tanquam in intelligente, ergo ab eo procedit, vt intelligens est, ac proinde etiam vt volens est, in explicationem vero huius rationis varia affert Caietanus, quæ non sunt secundum mentem auctoris, quibus ommissis expositio Ferrar. mihi placet, inquit igitur 2. contra gent. cap. 23. in tertia ratione propositionem illam S. Thom. *Effectus procedit à causa secundum modum, quo in illa est:* hoc pacto intelligendam esse, si effectus est in causa, quatenus illa est, procedit ab illa quatenus est, necessitate naturæ: si vero est in causa, vt intelligente, procedit ab illa, vt illa intelligente est, hunc enim sensum plane indicauit S. Thom. in textu. Fateor tamen rationem non esse admodum efficacem, nisi aliunde proberetur, creaturas esse in Deo, vt in causa intelligente: bene enim potest aliquid esse in alio, vt intelligente, quod non sit causa illius, quatenus intelligens est: nam vnus homo est in alio, vt intelligente, sed non, vt causa intelligente: creaturas vero esse in Deo, vt intelligente, constat ex questione 14. esse autem vt in causa intelligente, patet ex questione 15. Et sane si iste modus operandi rationali modo, hoc est, per rationem nobilissimus est, Deo negari non debet: quod si semper intellectum Deus operatur, similiter & voluntas eius erit causa rerum.

CAPVT II.

Voluntatem Dei esse propinquiorē causam rerum, quam intellectum.

Cum absque controuersia sit inter Doctores id, quod præced. cap. diximus, Deum videlicet esse causam rerum per voluntatem: in questione tamen positum est, vtrum voluntas Dei propinquius operetur res ipsas, quam intellectus, an contra: atque in ea variæ sententiæ Theologorum numerantur. Prima est, quam refert Durandus in 1. d. 45. q. 2. quorundam, qui dicebant, scientiam Dei esse proximam causam rerum, voluntatem vero remotam, probant, quia quamvis exemplar, quod non habet vim producendi, non attingat prius effectum, quam causa applicans ipsum exemplar tamen, quod efficax est, propinquius est. Etum attingit, quam causa applicans illud, veluti sigillum, quod imprimit figuram, propinquius ipsam attingit, quam manus applicans, sed scientia Dei est exemplar efficax, veluti sigillum imprimens rebus sui figuram, non quam in se habet, sed quam repræsentat (hac enim ratione diximus disp. 72. scientiam Dei esse ideam creaturarum) ergo ipsa propinquius concutit, quam voluntas, quæ est veluti manus applicans sigillum.

Hæc sententia non placet Durandus hac sola de causa, quia ratio illius, si alicuius momenti est, nimium probat, videlicet, scientiam Dei esse causam magis propinquam, quam sit omnipotentia, cum tamen omnipotentia sit omnium proxima causa, vt ipse etiam docuerat in 1. d. 38. q. 1. & indicare videtur S. Tho. in hoc articulo 4. ad 4. Verum hac ratione non esset opinio inprobanda, eo quod præter intellectum, & voluntatem in deo frustra ponitur alia potentia, vt

Refellitur.

exequens, sicut in nobis, quæ dicatur omnipotentia, ut fufius ostendimus disp. 102. non dico solum ex natura rei distinctam ab intellectu & voluntate, hanc enim distinctionem in Deo nunquam concederent, nisi inter personas, sed neque sola ratione, & nostro modo intelligendi diuersam. Nec S. Th. in illa solutione 4. concessit esse constituentem in Deo rationem omnipotentis distinctam ab intellectu, & voluntate, ut eo loco dicemus.

84

Nihilominus opinio prædicta mihi non probatur, quia scientia Dei non se habet, sicut sigillum imprimens figuram sui, sed sicut proponens obiectum voluntati, ut illud faciat: ergo nec voluntas se habet, ut manus applicans sigillum, nec enim aliter se intellectus in Deo, quam in artifice creato: in hoc autem manifestum est, intellectum non operari sicut sigillum imprimens figuram, est etiam manifesta differentia, nam sigillum est causa per se impressæ figuræ, manus autem applicans est causa per accidens, veluti applicans ignem ad comburendum. Vnde si sigillum nulla manu applicante caderet, eodem modo figuram imprimeret: at voluntas non est certa causa per accidens operis, & solum applicans, ut in artifice creato, ergo frustra affertur comparatio prædicta.

Secunda sententia Rejicitur.

Secunda opinio est, scientiam Dei esse causam magis propinquam in ratione directionis, non tamen in ratione mouentis, quod alij dicunt, quoad specificationem, non quoad exercitium. Sed in epte hoc modo fit comparatio: nam intellectus in ratione dirigentis, & quoad specificationem, seu obiecti propositionem, quod id est, primus est, & solus, nec cum voluntate conferri potest in hoc enim genere voluntas nihil habet, sicut contra, in ratione mouentis, quoad exercitium, sola voluntas principium est. Tunc etiam, cum hic inquirimus, quæ sit propinquior causa, intelligimus in productione ipsius rei, quare si intellectus solus est, qui dirigit, & voluntas, quæ mouet, illa erit magis propinquior.

Dicitur d. Tertia sententia Rejicitur.

Mihi placet tertia opinio Durand locis citatis, qui absolute ait, causam proximam operis esse voluntatem Dei, intellectum vero remotam. Nam eodem modo philosophari debemus de diuino intellectu, & voluntate, sicut de intellectu, & voluntate artificis creati ad opus artis faciendum: nunc autem, si verum est, talem esse ordinem ad executionem operis, ut prius intellectus proponat opus, & modum faciendi, deinde voluntas velit illud eo modo fieri, & tandem sequatur executio ad nutum voluntatis, nullo interiecto actu intellectus inter electionem voluntatis, & facultatem exequentem; sequitur in artifice creato voluntatem propinquius concurrere ad opus, quam intellectum, tamen si facultas exeques omnium proxima sit. Sic ergo in Deo, nostro modo intelligendi hæc debent assignari, quare si in Deo distinguitur potentia exequens ab intellectu, & voluntate, illa erit proxima causa, voluntas tamen erit propinquior, quam intellectus.

9.

Quod si post electionem voluntatis, est actus intellectus per modum imperij deferens impetum voluntatis ad facultates exequentes, ut Thomistæ contendunt, erit intellectus propinquior causa, quam voluntas, non quidem quatenus iudicat aliquid faciendum, sed quatenus imperio deferit impetum voluntatis facultati exequenti, ut

manifestum est, & hoc sensisse videtur Caiet. supra q. 14. artic. 16. ut ibidem notauimus, cum asserit, actum prædictæ scientiæ procedere ex effectu operis, quem supponit. An vero huiusmodi actus imperij in intellectu, post electionem voluntatis necessarius in nobis sit, ostendam 12. quæst. 17. Ceterum ut ostendam disp. 87. etiam si in nobis necessarius esset, frustra in Deo poneretur. Superest ergo, ut Dei voluntas sit propinquior causa operis, quam intellectus, & quia non est Deo ponenda exequens aliqua facultas distincta ab intellectu, & voluntate, ut demonstrabimus in fra disp. 120. sequitur, voluntatem esse causam omnium proximam.

ARTICVLVS. V.

Verum voluntatis diuina, sit assignare aliquam causam.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod voluntatis diuinæ etiam sit assignare aliquam causam. Dicit enim August. lib. 83. quæst. Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Sed agenti voluntario, quod est ratio operandi, est etiam causa volendi. Ergo voluntas Dei habet aliquam causam.

2. Præterea. In his quæ fiunt à volente, qui propter nullam causam aliquid vult, non oportet aliam causam assignare nisi voluntatem volentis. Sed voluntas Dei est causa omnium rerum ut ostensum est. Si igitur voluntatis eius non sit aliqua causa, non oportebit in omnibus rebus naturalibus aliam causam quærere, nisi solam voluntatem diuinam. Et sic omnes scientiæ essent superuacua, quæ causas aliquorum effectuum assignare nituntur: quod videtur inconueniens. Est igitur assignare aliquam causam voluntatis diuinæ.

3. Præterea. Quod fit à volente non propter aliquam causam dependet ex simplici voluntate eius. Si igitur voluntas Dei non habeat aliquam causam, sequitur quod omnia quæ fiunt, dependant ex simplici eius voluntate, & non habeant aliquam causam aliquam: quod est inconueniens.

Sed contra est, quod dicit August. in libro 83. quæstionum. Omnis causa efficiens maior est eo quod efficitur: nihil tamen maius est voluntate Dei. Non ergo causa eius quærenda est.

Respondetur dicendum, quod nullo modo voluntas Dei causam habet. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod cum voluntas consequatur intellectum: eodem modo contingit esse causam alicuius volentis ut velit & alicuius intelligentis ut intelligat. In intellectu autem sic est, quod

quod si seorsum intelligat principium, & seorsum conclusionem, intelligentia principij est causa scientiæ conclusionis. Sed si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, vno intuitu apprehendens vtrumque, in eo scientia conclusionis non caufaretur ab intellectu principiorum: qui idem non est causa sui ipsius, sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis. Similiter est ex parte voluntatis circa quam sic se habet finis ad ea quæ sunt ad finem, sicut in intellectu principia ad conclusiones. Vnde si aliquis vno actu velit finem, & alio actu ea quæ sunt ad finem; velle finem erit ei causa volendi ea quæ sunt ad finem: sed si vno actu velit finem & ea, quæ sunt ad finem, hoc esse non poterit: quia idem non est causa sui ipsius. Et tamen erit verum dicere, quod velit ordinare ea quæ sunt ad finem in finem. Deus autem sicut vno actu omnia in essentia sua intelligit, ita vno actu vult omnia sua bonitate. Vnde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa, ita velle finem non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem. Sed tamen vult, ea quæ sunt ad finem ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas Dei rationalis est, non quod aliquid sit Deo causa volendi, sed in quantum vult vnum esse propter aliud.

Ad secundum dicendum, quod cum velit Deus effectus sic esse, vt ex causis certis proueniant ad hoc quod seruetur ordo in rebus; non est superuacuum etiam cum voluntate Dei alias causas querere. Esset tamen superuacuum si alias causas quererentur vt primæ, & non dependentes à diuina voluntate. Et sic loquitur Aug. in 3. de Trin. Placuit vanitati Philosophorum etiam alijs causis effectus contingentes tribuere, cum omnino videre non possent superiorem ceteris omnibus causam, id est, voluntatem Dei.

Ad tertium dicendum, quod cum Deus velit effectus esse propter causas, quicunque effectus præsupponunt aliquem alium effectum, non dependent ex sola Dei voluntate, sed aliquo alio. Sed primi effectus ex sola diuina voluntate dependent, vt pote, si dicamus quod Deus voluit hominem habere manus vt deseruirent intellectui, operando diuersa opera: & voluit eum habere intellectum ad hoc quod esset homo: & voluit eum esse hominem vt frueretur ipso, vel ad complementum vniuersi. Quæ quidem non

est reducere ad alios fines creatos vltiores. Vnde huiusmodi depēdent ex simplici voluntate Dei alia vero ex ordine etiam aliarum causarum.

Conclusio articuli est, *Nulla causa finalis diuine voluntatis assignari potest*: eius vero explicationem, & doctrinam totius articuli, sequenti disp. complectemur.

DISPVTATIO LXXXII.

An voluntatis Dei possit aliqua causa, aut saltem ratio finalis assignari.

Dua opinionēs Theologorum. cap. 1.

Deo nihil aliud esse rationem volendi præter suam bonitatem. verior sententia est. c. 2.

Assignanda esse instantia prioris, & posterioris in decreto Dei. c. 3.

In modo distinguendi, & ordinandi instantia rationis in diuino decreto, varie sentiunt auctores. c. 4.

Hæc instantia secundum ordinem obiectorum inter se assignanda sunt. c. 5.

Ex sola Dei voluntate sine connexionē rerum inter se non debent instantia ordinari. c. 6.

CAPVT I.

Dua opinionēs Theologorum.

Scholastici omnes vno ore fatentur, nullam causam realem diuine voluntatis posse assignari, non solum efficientem, materialem, aut formalem, id n. satis compertum est, sed neque finalem, id quod ex professo notauit S. Tho. in hoc a. intelligunt autem non solum inter obiecta creata non esse aliquam causam finalem secundum rem, sed neque suam bonitatem esse posse. Probat vero Doctor S. hac ratione tunc aliquid est causa finalis realis volendi media quando diuerso actu volendi voluntas versatur circa illud; & circa media, sic n. finis alio actu volutus, est causa volendi media, quia voluntas finis mouet realiter ad voluntatem mediorum, ac proinde finis ipse metaphorice suo modo dicitur mouere, quia sui desiderio mouet ad desiderium mediorum, quoties autem eadem voluntate quis appetit finem, & media, ibi nō potest esse realiter causalitas finis per sui desiderium ad volendum media, quia eadem voluntas nō est sibi ipsi causa realis. Sicut etiam tunc solum principia realiter dicuntur mouere ad cognitionem conclusionum, quando alia est cognitio principiorum, alia conclusio, quod si eadem cognitione vtrique simul cognoscuntur, non dicuntur principia esse causa realis cognoscendi conclusionem; Deus autem eodem actu voluntatis vult suam bonitatem tanquam finem, & creaturas, tanquam media; ergo nec sua bonitas, nec quidquam aliud potest esse realis causa volendi.

In hac ratione supponit S. Tho. finem tantum mouere per modum finis ad desiderium mediorum, & hanc esse propriam eius causalitatem: id quod verissimum est, vt ex prof. so probabitur 12. q. 1. ar. 2. sed si aliquis contendat, etiam finem mouere ad desiderium, & amorem sui vera finis causalitate, probatur nihilominus, nullam esse causam finalem realem voluntatis Dei. Primum non potest esse sua bonitas, quia ea non distinguitur ab amore, & actu voluntatis circa ipsam, quod necessarium erat, vt esset causa realis idem enim sui ipsius

i.
Voluntatis
Diuine non
potest esse
causa finalis
realis.
S. Thom.

Prima ratio,
S. Thom.

Secunda
ratio.
2.